



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

7. Dies Februarii. Mori malè times, & malè vivere non times. August. de  
temp. serm. 239.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Februar.

Tessera.

IOI

nibus, qui in fugacissimæ vitæ articulo, quæ vix unius diei limitibus includitur, cælo proposito, & iis bonis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, ore inhiante umbras stupent, seque totos in luto volutant? Donec emergentes è luto, repentè mergantur in orco. Aurem illis vellicat Poëta dum ita cantat.

*Est tibi vita brevis, modo vivis, cras morieris.*

## 7. DIES FEBRUARII.

Mori malè times, & malè vivere non times. *August. de temp. serm. 239.*

Mors est I.  
Echo vitæ.

**C**Um avari studiosè quærant, quo ditescant; mæsti quo exhilarentur, infirmi quo sanentur, ambitiosi quo exalitentur: cur qui mortem adèdè timent, non quærunt remedium, quo illam non timeant? Malè timetur, quod nostri est arbitrii non timere: Illud metue, unde mors redditur metuenda; hoc est vitam malam. Rogatus à Socrate Plato, quomodo in vita se gessisset, & quomodo in morte se esset gesturus. Audi responsum magis Catholici, quàm Ethnici. *Scito, inquit Socrates, in juventute operam me dedisse, ut benè viverem, in senectute, ut benè morerer:* quare cum & honesta vita fuerit, & mortem lætus exspectem: nec vita mihi dolori est, nec mors timori erit. O vitam in hac perpetua morte verè vitalem, sic eam institue-  
re ut nec vita sit dolori, nec mors timori.

G 3

hunc

hunc felicitatis apicem gliscere? Attende. Duæ sunt res, quæ difficilem hominibus mortem efficiunt; vel amor scilicet ejus, quod relinquimus, vel metus ejus, quod exspectamus. At cum hæc vita nihil habeat amabile, si bona præcesserit vita, nihil mors quod metuas, habet formidabile.

II. Ne mortem, ante tempus mortis timeas, ita vivere oportet, ac si post horam unam esset emigrandum. Decet prius desinere, quàm desinas; finem facere, quàm finem accipias; mori quàm moriaris, sepeliri quàm sepeliaris. Hoc est, prius oportet desinere malè vivere, quàm desinas vivere. Hoc si à te impetres, ita facile è vita migrabis, ac si è domo una migres in aliam. Non est Christiani velle ut tempore ad peccandum abundet, ad resipiscendum careat. Utinam temporis illius, quod cogitationibus de peccatis committendis, tribuis, saltem tertiam partem meditationi de obeunda morte tribueres; & quam solitudinem in explendis pravis cogitationibus collocas, eam in deflectendis sceleribus collocares! Totus mundus immixtis habenis in flagitia cum spe ad frugem redeundi in senectute, & resipiscendi in morte, præcipitat. Omnium sensus est: Arctari crescens pueritia non debet, senectus debilis vexari, utilis ætas à curis domesticis cursuque honoris abduci; juventuti aliquid dandum est. Deo quid? Animæ quid? Æternitati quid? Nulla videtur huic matura ætas. Nullus temporis, & rerum cardo, donec suus neget prægnantem fœtus, partumque toties differenti, vires negentur patienti. (a) *In die illa occidet Sol in meridie.* Idem fors tibi eveniet.

(a) *Amos 8.*

eveniet. In ætatis vere, in fortunæ flore, in media dignitatum luce, in festo lætitarum, aulæ, pomparumque splendore ac strepitu, ad locum, punctumque supplicii venies.

III. Hoc cine rationi est consentaneum, cum tot committamus uno solo die peccata, ut vel unico peccato deplorando tota vita non sufficiat: ut deplorandis universis totius vitæ nostræ peccatis non amplius quam unicæ horæ spatium requiramus? Fateor, ea est Dei clementia, ut sufficiat una hora, ut vitæ perditæ actæ te pœniteat. Sed auctor sum, ut si velis unam horam pœnitendo impendere, ea ne postrema sit. Suspirium enim voluntariè emissum, cœlos penetrat: necessitate expressum, ne tecta quidem transit. O quæ cæcitas? Horam pœnitentiæ, veniæ, gratiæ, gloriæ destinatam cælitus, ac donatam divinitus, otio, fabulis, apinis, donari! O quam illos lacerabit æterna pœnitudo neglectæ opportunitatis, qua brevi compendio cœlum sibi asserere poterant. Si, quod absit, tam execranda fors, te interceperit, ut inimicum Dei morte repente opprimat, quo fletu, qua rabie, quibus ululatibus inculaturus es illam socordiam, quo possessionem summi boni, excuti tibi de manibus non modò patiens tuleris, sed eam sponte respue-  
ris. Quam amara recordatione revocaturus es articulos illos temporis, quibus flammæ illas ferviles, & atroces vitare, regnum illud perpetuum, ac securum nullo negotio valuisti adipisci. Expende illud D. Gregorii. (a) *Omnipotentis Dei Misericordia illius obliviscitur, qui Omnipotentis Dei justitia*

G 4

fuerit

(a) *In moral.*

fuert oblitus : quia misericordem Deum invenire non poterit, qui eum justum non timet. Ne timeas post mortem judicium, time ante mortem Judicem, qui nec pretio, nec prece est exorabilis. Juxta illud.

*Judicis est recti nec munere, nec prece flecti.*

## 8. DIES FEBRUARII.

Nunquam erit homini pejus in morte, quam ubi erit mors ipsa sine morte,  
*August. de Civit. cap. II.*

Timenda I.  
mors illi  
qui commi-  
sit timenda.

**I**N homine graviter infirmo, ut plurimum pœnitentia est infirma. Tamen si enim illius exercendæ adhuc suppetat facultas ; quæ tamen non difficultas ? Obruent ægotantem ægritudo corporis, & animi, dolor, infirmitas, insomnia, inquietas, vigiliæ. Coquet febrilis ardor viscera, obrundet gravedo caput. Quis modus discutiendæ ut par esset conscientia? Morbus ingravescet, mittendus erit sanguis, pharmatica sorbenda, adhibenda remedia, fastidio erunt medici, & cum vacillare ceperint, terrori. Ubi conclamatum fuerit, quàm gravis erit mortis nuntius. Sed quid? Quando circumdabunt me dolores mortis, torrentes iniquitatis, ac pericula inferni? Poneretur ante oculos antea actæ vitæ turpitudine, apparebit sublato fuce peccatorum gravitas, in proximo erit damnationis periculum, & exorabilis fæ-

veritas